CURAE AFRICANAE

SCRIPSIT

RUDOLFUS KLUSSMANN.

GERAE

APUD RICARDUM KINDERMANNUM

MDCCCLXXXIII.

CURAE AFRICANAE.

FRONTO.

In *Marci Corneli Frontonis* qui exstant libris recensendis nescio an duplex superanda sit difficultas. Atque primum quidem codex rescriptus, in quo latent magis quam leguntur, tam male tractatus est, ut totae haud raro paginae prae nigrore, quem ex uenenis adhibitis traxerunt, euanuerint nec quidquam eorum, quae olim in eis scripta fuerunt, erui possit, praeter quam quod ipsi libri rescripti tam dubiae lecturae esse solent, ut nescio quis homo doctus non raro diuinandum esse dixerit, quae sententia obscuris locis subsit, priusquam ad singulas litteras et voces legendas et exscribendas accedere possis. Maium correxit homo batauus GNduRieu, hunc Studemundus isque tanta cura et diligentia, ut nisi plane certus esset, se dubitare profiteretur. Iam ut in eis, quae Studemundus dispexit, securus adquiescere possis, minimam homo doctissimus librorum frontonianorum partem relegit, ut de ceteris aliquando subdubitari liceat. Altera difficultas in ipso Frontone est. Is enim, ut aequalibus prope diuinus et scriptor et orator uisus est, ita, ex quo eius libri ex tenebris in lucem editi sunt, puerilis et ineptus et insulsus uideri solet, ut quo in emendandis eius reliquiis descendere liceat, satis anceps nonnumquam uideatur esse et lubricum. Tamen in ipsis hisce rerum angustiis neque ipse neque AEbertus[1]) neque LEhrenthalius[2]) experimenta,

[1]) De M. Cornelii Frontonis syntaxi. Diss. inaug. quam ... scripsit AEbert. Erlangae 1880 = acta seminarii philologici erlangensis II pag. 311—357. Cf. quae de hoc libello dixi in 'phil. Rundschau' I p. 1366—1371. Clementius cum eo egit KEGeorges in Bursiani annalibus 28 (1881) pag. 267—271. Nihil fere noui attulit censor anonymus in indicis philologi 12 (1882) pag. 397—400. — [2]) Quaestiones frontonianae. Diss. inaug. quam ... defendet LEhrenthal. Regimontii Prussorum 1881. Libellus laude dignissimus, in quo quod me

ut aiunt, in corpore uili facere dubitauimus, iamque ad haec studia diu intermissa redeo, non quo magna promittam, sed ut in eo agro, unde messem abstulerunt alii, spicilegium quoddam faciam in eaque re maiore utar moderatione melioreque consilio quam quo ante hos decem fere annos uti potui.

Fronto pauca pro somno dixerat, quae Marcus 'multis et elegantibus argumentis' refutauerat (cf. ad M. Caes. I 5 pag. 11. 20). Quae Marci nugae uix ad Frontonem delatae eique redditae erant, cum uilissimis blanditiis discipulum adulatur, ut puerilium mehercule iocorum luxurianti uarietate, ut sunt artes rhetoriscorum, modo huc saltitet modo illuc. Atque initio quidem epistulae se uigilare Marcum malle profitetur, quo plus acuminis et leporis adferat (pag. 11. 21), sub finem se postulare ut dormiat iocatur, ne sibi tot insidias uersutissimas ponere possit (pag. 13. 3). Iam uero, ut est mobilis, addit: *Aliud scurrarum proverbium: en cum quo in tenebris mices.* At de alio quodam scurrarum prouerbio nihil in eadem epistula legitur, ut recte Heindorfius uitium aliquod in illis verbis latere admoneat. Nam Laeuianum illud: *nulla decipula tam insidiosa*[1]) nec prouerbium est nec scurrarum. Quare addita una litterula scribendum censeo: *At uide scurrarum prouerbium.* Quippe se minitari et postulare aliquid a domino simulauerat; iam se ipse quasi interpellans: at, ait, quid dixi? a tene postulari ut dormias, ne nouas mihi insidias struere possis, tene, hominem tam liberalem et religiosum, quocum in tenebris micare possis? Iam transit ad laudandum Caesarem seque ipse humiliandum. De micandi lusu cf. Burmannum ad Petron. c. 44 p. 277, c. 64 pag. 423, interpretes ad Cic. de off. III 19. 77.

In epistula Marci Caesaris ad Frontonem I 6 agitur de testamentis defunctorum ex prouinciis transmarinis Romam mittendis ad cognitionem Caesaris. Qui mos si inductus esset, male de testamentis consultum iri. *Olim pergit* (pag. 16. 15 Nab.), *testamenta ex deorum munitissimis aedibus proferebantur aut tabulariis aut ..cis (lucis* Maius, *arcis* Hildebrandius[2]) et post eum Naberus, *thecis* Ernestus pater meus,[3]) *cecis* Eussnerus[4]) expleuerunt) *aut archiis aut opisthodomis: at iam testamenta pro..* (*prope* Maius) *ru........*[5]) *nauigarint inter onera mercium et sarcinas remigum.* Ex his et quae secuntur, quibus exponitur fieri posse ut testamenta nauibus Romam ferenda in medio mari, si quando iactu opus sit, i. e. per tempestatem in summo rerum discrimine, cum leguminibus, i. e. cum rebus uilissimis, in undas demittantur, adparet agi de periculis, quibus testamenta nauibus commissa per ipsum iter maritimum obnoxia sint: aut perire ea oneribus mercium et sarcinis remigum, inter quae lateant, oppressa et obruta,

---

neglegentiae recte arguit, qui Angeli Mai coniecturam quandam mihi adrogauerim (pag. 2 not. 4), cauere sibi ipse debebat, qui meam quandam coniecturam (cf. emendationes fronton. pag. 73) ad M. Caes. V LI 66 pag. 91, 2 Nab. pro sua uenditauerit. Compensemus.

[1]) Loci laeuiani, id quod homines doctos fugisse uidetur, sine dubio meminit Apuleius Apolog. 81 pag. 90. 16, quamquam, ut adsolet, ex ingenio aliquantulum ita mutavit: *versutiam tam insidiosam.* — [2]) ad Apulei librum de magia 89 pag. 612. — [3]) Philolog. 27 pag. 240. — [4]) in Mus. rhen. 25 pag. 542. — [5]) 'supple octo fere litteras' Maius.

aut timendum esse ne ad ratem leuandam in mare proiciantur. Itaque haud scio an lacunae ita sint explendae: *at iam testamenta pro* obrutis sunt, *si nauigarint inter onera mercium et sarcinas remigum* (sie sind so gut wie verschüttet und vergraben unter den Warenballen und dem Ballast), ut iam inueniri non possint. Maehlius [1]): *at iam testamenta promiscue per maria nauigarint,* quae coniectura eo laborat, quod quid inde periculi testamentis immineat non adparet; Eussnerus: [2]) *at iam testamenta prout rudente apta nauigarint*, quae uerba e Cicerone [3]) adsumpta uereor ne et contra Frontonis dicendi usum [4]) peccent et iusto doctiora sint in media quadam commentatione iuridica. Quid praeterea Frontoni cum *Λακωνισμῷ*?

In emendationibus frontonianis (pag. 47) cum in epistula ad M. Caesarem data (V XIX 34 pag. 82. 3) codicis uaticani scripturam *illo spatio*, *quo perferebatur hoc nuntius* contra praeproperam hominum doctorum sententiam antiquam pronominis formam mutandam esse (Maius *hic*, Naberus *huc* maluerunt) recte negaui, nescio quomodo neglexi locum qui est in mediis apud Naberum epistulis graecis VI (pag. 253. 9): *ego non ardeam tuo amore, qui mihi* hoc *scripseris*, qui locus non cum Maio et Nabero temptandus est. Uterque locus M. Caesaris est.

In Marci epistula III 7 Fronto quod quiescat et quod commodum valetudini sit faciat laudatur. *Et libenter*, pergitur (pag. 45. 1), *et otiose age. Sentio ergo recte fecisti, quod brachio curando operam dedisti.* Sic Mai lectionem secutus Naberus. Uitiose sine dubio; id cum perspexissent Schopenus [5]): *et* clementer *et otiose age. Censeo ergo* et quae secuntur, ASchaeferus [6]) audacius: *et libenter te otiose agere sentio* emendari uoluerunt. Atque reuera quem adhorteris ut libenter agat nisi qui sit aut loco aliquo minus grato aut condicione aliqua incommoda? De quibus rebus nihil additur. Praeterea male cohaerent uerba proxima. Neque enim, siue uocabulum *ergo* cum *sentio* siue cum *recte fecisti* coniungis, quia Marcus sensu non caret, Fronto recte fecisse dicendus est, neque quia Frontonem ad cauendum ualetudinemque curandam adhortatus est, ideo Marcus sentire aliquid dici poterit. Itaque in uocabulo *sentio* latere aliquid adparet, quod ut Fronto libenter et otiose ferat Marcus adhortatur. Fronto autem tribus locis (pag. 56. 23, 89. 21, 91. 18) lectulo arthriticum se teneri apud Marcum conqueritur. Atque in ea de qua agitur epistula Marcus addit: *ego quoque hodie a septima in lectulo nonnihil egi* (cod. *legi;* recte MHauptius emendauit *egi;* septem enim *εἰκόνας* Marcus se expediuisse gloriatur, id quod scribentis est, non legentis). Uides Frontonem ipsum quoque eo tempore aegrum in lectulo fuisse. Igitur emendo: *et libenter et otiose age lectulo. Ergó recte fecisti* et quae secuntur. Qua emendatione non librario, sed Mai oculis opitulari mihi uideor. Unum restat, ut de nudo ablatiuo loci omissa praepositione *in* pauca addam. Praeter

---

[1]) Philolog. 17 pag. 177. — [2]) l. c. — [3]) Tusc. disp. V 14. 40. — [4]) uocabulo *prout* Fronto uno loco (ad amic. I 25, pag. 188. 17 Naber.) usus est: *et tu quidem ad singulos orationis successus, prout quaeque sententia laudem meruerit (meruerat* Heindorfius) *gaudio fruebare,* ut ad plenam sententiam pertineat, non ad compendium. Apud Marcum non inuenitur. — [5]) Emendationes frontonianae II (1841) pag. 7. — [6]) Philolog. 26 pag. 174. —

ea quae de hac re Draegerus I² pag. 525 § 222. contulit, quibus adiungo antiquissimum eius generis exemplum Attii apud Ciceronem de diu. I 22. 44: *prostratus terra*, cum AKoehlerus[1]), tum AEbertus[2]) conferendi sunt, quorum hic exempla frontoniana composuit admixtis quidem alienis nonnullis, ut his uti liceat: *lammineae interdum argentiolae cloacis inueniuntur* (pag. 157 cuius paginae uersus qui primus esse debuerat, typothetae socordia ultimus positus est) et *anulum aluo repertum* (pag. 219. 16). Addo locum Senecae patris (suasor. III 2): *quod hoc sacrum est uirginis deae templo uirginem occidere?* quo loco caue ne cum AKiesslingio quidquam moueas. Quamquam est cur ea quae posui mihi ipsi displiceant. Ac primum quidem uerba illa non Frontonis sunt, sed Marci Caesaris, apud quem similia eis quae attuli exemplis non inueniuntur, tum Marcus se ipsum Frontoni comparat in eaque re non nudo ablatiuo utitur. Ergo scribendum erit utroque loco: *in lectulo*.

Ad M. Caesarem IV 12 Fronto lecto initio epistulae nuper adlatae se ualde consternatum fuisse profitetur, cum Caesarem in aliquo ualetudinis periculo uersari opinaretur, sed postquam de Faustinae filiae Caesaris ualetudine agi uidisset, pauorem illum non modo permutatum, sed quodammodo subleuatum fuisse (pag. 72. 19). Uix autem haec scripsit, cum ueritus ne Faustinam quasi minus amatam offenderet, temeraria uerba excusare conatur. Tum multa friuole iocatus ad eandem rem recurrit. *Sed heus tu*, pergit, *uidebis ne delator existas neue indicio pareas apud filiam, quasi uero ego te quam illam magis diligam* (pag. 75. 2). Quae uerba caue ne temptes. Quamquam OHirschfeldius (apud Studemundum in epistula critica ad me data pag. XXXII) emendasse sibi uisus est: *neue indicio* p e r d a s *apud filiam*. At deest quem perdere uetetur. Errasse uidetur homo doctissimus, cum parendi uerbum imperatorum temporibus persaepe eiusdem notionis esse pro *apparendi* uel *comparendi* obliuisceretur, de qua re confer Oudendorpium ad Suet. Octau. c. 95; ne Afri quidem uerbo abstinent: cf. Apul. Met. I 14. V 3. Tertull. de bapt. 3, de praescript. haeret. 42, de cultu fem. II 5. *Indicio parere apud aliquem* idem est quod indicium profiteri, delatorem esse. De datiuo quem dicunt finali vide Ebertum l. c. pag. 315 sq. = diss. pag. 7 sq.

In epistula Antonini imperatoris ad Frontonem I 1 pag. 94. 13: *uale et perennem multis annis bonam ualetudinem* dubito an non recte MHauptius emendauerit *perenna multis annis bona ualetudine*. Admodum quidem rarus est uerbi *perennandi* usus transitivus, at invenitur apud Tertullianum Afrum (de ieiunio 6 pag. 859. 27 Oehler.): *qui quadraginta diebus totidemque noctibus supra humanae naturae facultatem ieiunium perennavit*, ut propius accedenti ad codicis frontoniani lectionem scribendum mihi esse uideatur: *perennes multis annis bonam ualetudinem*. Modorum diuersitas nihil habet quo offendaris. Idem enim Antoninus II 4 pag. 107. 1: *uale, mi iucundissime magister. Ciceronis epistulas, si forte electas totas uel dimidiatas habes, inpertias, uel mone quas potissimum legendas mihi censeas ad facultatem sermonis fouendam.*

---

[1]) in actis semin. philol. erlang. I pag. 431. — [2]) in eisdem actis II. pag. 320 = pag. 12 dissertationis.

In epistula ad Uelium Rufum data (ad amicos I 11 pag. 181. 5) nescio an et ego et alii frustra laborauerimus. De figuris uerborum et sententiarum agitur. Exemplum additur figurarum uerborum: *hac figura usus sum, cum figuram dixi de corpore, in quo neque sincerus, neque aqua pura, neque ullus umor liquidus, sed ita ut in palude corrupta omnia.* Iam cum in corrupto uocabulo *figuram* ipse trôpus inesse uideretur, quo Fronto se usum esse dixit, ita emendauerunt; Schopenus *paludem,* Ecksteinius *lacunam,* Studemundus *rigorem,* ego *stagnum.* At tropus ille Rufo satis notus fuisse uidetur, ut praestet periclitari: *cum figurate dixi de corpore.* Non ignoro nimium fere tumorem Frontoni imputari, si mecum emendare uelis, at tumorem plane africanum.

APULEIUS.

In Floridis (II extr. pag. 9 Oud. 10 Hild. 3 Krueger.) acies mentis cum oculorum acie comparatur, quarum si haec pluris esset quam illa, non homini sed aquilae palmam esse tribuendam. Homines enim nec quae procul remota sint cernere, saepe ne quae propinqua sint et intra lapidis iactum sita dispicere. Atque de aquila quidem sic pergit: *cunctabundo uolatu paene eodem loco pendula circumtuetur et quaerit, quorsus potissimum in praedam superne sese ruat fulminis uicem, de caelo improuisa simul campis pecua simul montibus feras simul homines urbibus uno obtutu sub eodem impetu cernens, unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet uel agnum incuriosum uel leporem meticulosum uel quodcunque esui ām̄atum uel laniatum fors obtulit.* Sic codices. Sed cum in uerbis extremis uocabula *ām̄atum* nihili esse, *laniatum* ferri non posse uiderent homines docti loco laboranti alius alio modo succurrere uoluerunt. Ac recte quidem Oudendorpius et Kruegerus Dousam secuti *aniatui* restituerunt; nam quae contra admonet Hildebrandus praeter rem sunt. Alterum tamen uocabulum an bene sanatum sit uehementer dubito. Quo enim animali aquila pascitur, id necesse est antea laniauerit, et quodcunque lacerauit, eo pascitur, ut idem animal esui *uel* laniatui offerri non possit. Unde male editionis uicentinae lectionem quae est *animatum* Oudendorpius Hildebrandus Kruegerus amplexi sunt; eodem redit id quod Floridus coniecit *animantum.* Recte autem Coluius id quod aquilae in auris pendenti esui, non laniatui offeratur *inanimatum,* non *animatum* esse oportere perspexit; quamquam id uocabulum et a codicum lectione longius abest nec ad proxima uerba referri potest: scribi enim debuerat *uel quodcunque esui inanimatum uel laniatui animatum fors obtulit.* Itaque in corrupta illa uoce, si modo corrupta dici potest, aliquid inesse oportet, quod aut non laniatum aut laniatum esui offeratur. Quae cum ita sint, emendandum uidetur *uel quodcunque esui admotum uel laniatui fors obtulit.* Solet enim in codicibus apuleianis praepositio *ad* litterae *m* adsimilari uelut, ut in Floridis subsistam, cap. 7 pag. 7. 14 Kr. in altero laurentiano est *ãmirando,* cap. 9 pag. 13. 8 *amirabilior,* cap. 17 pag. 26. 21 *ãmirandos,* pag. 27. 13 *ãmirarer;* duobus locis secunda manus primam correxit. Idem in codicibus neapolitano et uaticano Draconti factum est (cf. poetae carm. minora ed. Duhn VI 79 pag. 23 a m m o t i s, satisfact. u. 16 pag. 80 a m m i t t u n t, u. 162 pag. 85 a m m i s i t). Quodsi ipsum quo de agitur uocabulum omitti potuisse obieceris, africani

hominis uerba esse uereor ne obliviscaris. De hoc enim tumore africano satis erit prouocasse ad Sittelium [1]). Admotum autem dicitur id quod aut in obtutum oculorum cadit aut quasi munus et donum quoddam offertur.

In eisdem Floridis IV pag. 28 Oud. 31 Hild. 9. 7 Kr. malignos obtrectatores deprecatur, si qui in eo coetu, in quo de Hippia dicturus est, adsint: *si qui,* pergit, *ex illis libidinis splendidissimo huic auditorio uelut quaedam macula se immiscuit, uelim paulisper suos oculos per hunc incredibilem consessum circumferat.* In quibus uerbis multum disceptatum est de uoce *libidinis*, quae in utroque codice laurentiano est. De libitinariis enim, quasi obtrectatores uiles et ominosi eo nomine notati essent, somniauit Stewechius; *libitinis,* quos eosdem atque libitinarios fuisse temere suspicatur, Wowerius, *linuidulis* uel *linbidulis* uel *Uatiniis* coll. Catull. XIIII 3, quorum uocabulorum illa nihili sunt, substituit Coluius; *liuidineis* Gruterus, *liuedineis* Salmasius in plinian. exercit. pag. 89, cui adstipulatur Kruegerus; *liuedinis* Oudendorpius obloquente Hildebrando, qui *liuidinis* maluit. Uereor ut recte. Nullum enim nec *liuedinis* nec *liuidinorum* aut *liuedineorum* aut *liuidineorum* in litteris latinis, quod sciam, uestigium est. Prouocant quidem ad Petronium c. 138, ubi Paris *dearum liuidinantium iudex* apud Burmannum est. Sed et Bipontini et Buechelerus pag. 200 ed. mai. e codice recte *libidinantium* restituerunt; *liuidinantes deae* Grutero debentur. Apud ipsum Apuleium met. X 24 pag. 725 Oud. 197 Eyss. cum nescio qui homo doctus exemplari suo *liuidinosae* adscripsisset, Oudendorpius Hildebrandus Eyssenhardtius restituerunt *libidinosae furiae.* Restat locus metamorphoseon IX 12 pag. 616 Oud. 778 Hild. 162. 10 Eyss. ubi Lucius *homunculos uibicibus libidinis totam cutem depictos* miseretur. Sic codices laurentini. Salmasius hic quoque *liuidineis,* Oudendorpius *liuedinis,* Hildebrandus quem secutus est Eyssenhardtius *liuidinis* coniecerunt, quibus in uocabulario Georges se addixit. At nulla harum uocum ullam aliunde habet auctoritatem. Quae caussa fuisse uidetur, cur Marklandus ad Stat. Silv. IV 9. 24 *liuidulis* ut scriberetur suasit. Medela facillima. Quamquam obloquitur Hildebrandus, cum in ea uoce librarium errare potuisse neget. At idem lapsus est Flor. IX pag. 11. 1 Kr., ubi cum deberet *interulam,* librarius antiquioris codicis praeiit *interuiam,* quem alterius codicis librarius religiose secutus est. Defuisse uidetur alterum quoddam exemplum eiusdem uocabuli quo color liuidulus designaretur, quominus Marklandum in loco emendando sequerentur. Iam uero adest Seuerus Sanctus, rhetor et poeta christianus, qui in carmine de mortibus boum apud Riesium in anthologia lat. 893. 91 pag. 317:

albent liuidulis lumina nubibus

ait. Altera inuidiosi notione utitur Iuuenalis in sat. XI 110:

ponebant igitur Tusco farrata catino
omnia tunc, quibus inuideas, si liuidulus sis.

---

[1]) K. Sittl, die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins. Erlangen 1882 pag. 92 sqq.

Eadem in Floridorum loco, quem initio posui, statuenda est, modo emendetur: *si qui ex illis liuidulis splendidissimo huic auditorio uelut quaedam macula se immiscuit.* Quippe Africorum studium formarum deminutiuarum notissimum est.

TERTULLIANUS.

Codicem agobardinum omnes quotquot libros tertullianeos seruauerunt et uetustate et auctoritate ita superare, ut in eis libris quos ille habet hi uix ullius momenti habendi sint satis constat. Librarium autem, qui codicem exarauit, in re agenda parum diligentem et accuratum fuisse, ut non raro singularum uocum litteras aut syllabas praetermitteret, Maximilianus frater meus [1]) exposuit additis exemplis. Quae exempla haud scio an augeri possint. Uelut ad Uxorem I 5 pag. 676. 1 Oehler. in eo quem dixi codice haec sunt: *adiciunt quidem sibi homines causas nuptiarum de sollicitudine posteritatis et liberorum amarissima uoluptate. Nobis otiosum* (i. e. inutile: cf. Oehler. ad libr. de corona 1) *est. Nam quid gestiamus liberos gerere, quos cum habemus, praemittere optamus.* Nec scio quid id sit *liberos gerere,* et si scirem, ad liberos gerendos uxore opus non esse scio. Idem cum sentirent docti librarii, qui codices uindobonensem et leidensem scripserunt, suo Marte *scire* substituerunt, quod cum alii homini docto nescio cui non satisfacere uideretur, altera manu ad vindobonensem adscripsit *suscipere.* Recte id quidem, si sententiam spectas; sed nimis longe abiit ab exemplo suo. Multo melius Beatus Rhenanus *serere,* quem praeter Rigaltium et Oehlerum editores secuti sunt. At, quamuis facili opera res expedita uideatur, usus tertullianeus obstat. Nam et raro de liberis procreandis serendi uerbo et nisi passivo genere non utitur, in qua re cum optimis scriptoribus congruit; locus enim lucretianus III 573 a Lachmanno bene restitutus est. Quantum enim memini, uno loco serendi uerbum hac quidem notione apud Tertullianum est idque passiuum (de anima 37 pag. 617. 22 Oehler.: *omnem autem hominis in utero serendi, struendi, figendi paraturam*). Itaque alia medendi ratio circumspicienda erit. Lege: *liberos generare.* Id enim uerbum de ea re apud Tertullianum usitatissimum est (cf. Apol. 21 pag. 198. 15, de monog. 6 pag. 769. 2, de pudic. 8 pag. 808. 4, de praescript. haeret. 33 pag. 31. 18, de carne Chr. 18 pag. 456. 2, 20 pag. 457. 21, de anima 4 pag. 561. 25).

ARNOBIUS.

In libro secundo contra philosophorum commenta disputat, quibus fidem de deis haberi queritur, Christo de ipso et de deo non haberi. Iam ita pergit (II 12 pag. 56. 19 Reiff.): *argumenta uos nobis et suspicionum argutias proferatis: quibus ipse si Christus — cum pace hoc eius et cum uenia dixerim — populorum* [2]) *in conuentibus uteretur, quis adquiesceret, quis audiret, quis eum pro-*

---

[1]) Curarum tertullianearum partt. I et II. Scripsit Max. Klussmann pagg. 16 sqq. (Halis Saxonum 1881).
[2]) i. e. hominum; cf. Sittelium l. c. pag. 108.

mitteret aperte aliquid iudicaret? Sic codex. Ursinus, quem homines docti secuti sunt omnes, *quis eum promittere aperte aliquid iudicaret* emendauit. At non promittere aliquid philosophi dicuntur, sed statuere et proponere, ut legendum uideatur: *quis eum promitteret aperte aliquid indicare?* De indicandi uerbo cf. III 14. IV 9.

II 41 pag. 81. 13 animas origine diuinas ideo caelo demissas esse negat, ut macellis et crudelissimis furoribus amphitheatralibus gauderent, *in altero mandi homines cernerent et bestiarum laniatibus dissipari ... at in altero* (i. e. amphitheatro, *altera* codex) *uero animalium miserorum discerperent uiscera.* Nescio an praestet *at in altero uiua animalium miserorum discerperent uiscera.*

II 49 pag. 86. 27 cum in codice sit teste Reifferscheidio *quid enim si hominem dicas captum membris omnibus et heiulantem scrutiatibus asperis idcirco esse sanum, quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem,* Salmasius correxit *ex cruciatibus,* Sabaeus, quem nemo secutus est, *cruciatibus.* Recte, nisi fallor. Nam eiulandi uerbum, quod sciam, aut nullum casum habet adiunctum aut accusatiuum; caussa cur quis eiulet apud unum Ciceronem Tusc. II 7. 19 ablatiuo adiungitur: (Philocteta) *ipsum Herculem uiderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem.*

IV 16 quinque Mineruas de nominis honore certantes facit; post primam prodit quinta pag. 153. 16: *immo, inquiet quinta Minerua, tutunis quae marita et puerpera totiens castitatis purae imminuta es sanctitate.* Uocabulum corruptum *tutunis* alii in *tu tinnis,* alii in *tintinnis,* alii in *tu sis* mutauerunt. Quibus iure spretis Reifferscheidius uocem obelo notauit. Propono: *tu muttis,* de quo uocabulo conferendus erit Hildebrandus ad Arnob. IV 18.

V 3 Arnobius insulsas ethnicorum de deis fabulas recenset, et primum quidem quae de Ioue tradantur credi posse negat. *Quid?* pergit pag. 176. 4, *quod sequitur fidem sumet aut tam improuidum fuisse Saturnum, ut aut ea proponeret quorum ambagibus ipse caperetur aut nesciret futurum quibus lusura se modis astutia esset calliditasque mortalis?* Primum illud *aut* sine dubio ex eis quae subsecuntur ortum et inducendum est. Nihilominus interpretes de loco corrupto sanando desperauerunt praeter Reifferscheidium, cuius ingeniosa quidem est coniectura *quid? quod sequitur fidem suam habet,* tamen ut longius a codicis lectione recedat. Equidem malim *quid? quod sequitur unde fidem sumet?* Non raro enim singula uocabula in codice a librario omissa sunt.

DRACONTIUS.

In praefatione (I 17—19 pag. 1 Duhn.) horatianam sententiam *ut desint uires, tamen est laudanda uoluntas* imitatus haec ad Felicianum grammaticum scripsit:

Nostra uota te precamur ut secundes, optime,
Ante cuncta non recusans illud ipse pendere
Non tua quirite laudes mente sed qua concinam.

In uersu extremo cum mendum latere Buechelerus optime perspexisset, *non tua uirtute laudes* eqs. emendauit. Poterat, nisi fallor, propius ad codicis scripturam accedere sic:

Non tuas quî rite laudes, mente sed qua concinam.

Quod *tuas* scripsi pro *tua*, ipse Dracontius excusabit, cuius librarius non raro singulas litteras omisit uelut II 24 *ui* pro *sui* II 64 *noscat* pro *noscant*. Uoc. *rite* decet discipulum, qui praecepta artis a Feliciano acceperat.

ANTHOLOGIA LATINA.

In codice uossiano inter carmina quae sub Senecae nomine feruntur tria sunt quaternorum uersuum *de uita humiliori* (Burmann. III 66. 67. 68, Meyer. 907. 908. 909), quae Riesius 407 et Baehrensius (poet. lat. min. IV 17 pag. 61) Pithoeum secuti in unum coniunxerunt. Idem enim omnia spectant, ut 'amicitias nimio splendore nitentes' fugere iubeant. Medium hoc est:

Ingentes dominos et famae nomina clarae
Inlustrique graues nobilitate domos
Deuita et longe uiuus cole, contrahe uela
Et te litoribus cymba propinqua uehat.

Uides et dehortari poetam et hortari. Sed ut plane perspicua sunt quae dissuadet, ita obscura sunt quae suadet. Atque omnino ferri nequit uocabulum *uiuus*; absurdum enim est suadere ut quis uiuus faciat, quae mortuo facere non licet. Longe aliter Ouidius (Trist. III 4. 3 sqq.) quem hic poeta imitatus est, rem egit, cum magna fugere, parua tueri, sibi uiuere, non aliis, latere, non conspici iubeat. Itaque permulta emendandi pericula facta sunt. Ut Burmannum et Meyerum omittam, qui *longe uiuus fuge* maluerunt, Cannegieterus ad Auian. fabul. 13 pag. 93 *longe cautus fuge*, Scriuerius *longe uiuens cole*, Heinsius *longe riuos cole*, Oudendorpius *longe reges cole*, Riesius *deuita longe et uiuus cole*, Hauptius in Hermae VII 13 = Opusc. 3. 573 *longe sanus cole*, Baehrensius *et tutus* (= cautus) *cole* emendauerunt. Sed nemo, puto, admonendus est, ut aut sanus aut tutus sit; omnes enim id quidem adpetunt. Scribendum uidetur: *et longe tu rus cole* i. e. longe ab urbe eiusque principibus solitariam tibi uitam age. Poeta ouidianum l. c. III 4. 25 *bene qui latuit bene uixit* suo ingenio imitatur.

Ut id de quo modo egi carmen sitne africani cuiusdam poetae an non sit certo diiudicari nequit (Senecae esse mihi quidem non persuasit Baehrensius[1]) in mus. rhen. XXXI pag. 256), ita epigramma:

Quisquis adhuc nondum fortunae mobile regnum
Nec sortem uarias credis habere uices,
Aspice Alexandri positum uenerabile corpus.
Abscondit tantum putris harena uirum!

[1]) ORossbachi disquisitiones de Senecae filii scriptis (Vratislaviae 1882) nondum inspicere potui.

Burm. II 16 Meyer. 703 Riesius 437) certo quodam indicio africanam originem prodit.)uamquam Baehrensius (poet. lat. min. IV 47 pag. 75) illud ipsum indicium corrigendo liminauit. Cum enim emendasse sibi uideretur:

Quisquis adhuc non scis Fortunae mobile regnum,

aec addidit: *clamat corruptelam* adhuc nondum *coniunctum.* At non modo ita in omnibus codiibus est, sed legitur apud Apulei. met. IX 22 *hactenus adhuc* et apud Uictorem Uitensem II 21 *necdum adhuc* et II 19 *adhuc nondum.* Itaque hunc poetae locum integrum adde eis, quae ittelius l. c. pag. 98 congessit, ut eiusmodi tumorem Africanorum esse doceret.

Eodem pertinet Hosidi Getae in Medea 'tragoedia', centone uergiliano u. 44 sq. Burm. I 178 Meyer. 235 Riesius 17):

Nescis heu perdita necdum,
Quae te dementia cepit,

ui idem Baehrensius l. c. IV 207 pag. 221 adscripsit: 'necdum] *nescis* puto'. Quippe eidem fricani saepissime *necdum* pro *nondum* usurpare solent, de qua re satis habeo prouocasse ad ittelium l. c. pag. 99.

Parcus est Sittelius l. c. pag. 86 in adferendis exemplis, quibus poetas africanos oaceruandis uno uel pluribus uersibus plurimis eiusdem generis uocabulis indulsisse comproetur. Quare iuuat addidisse nonnulla ex Octauiano, ex Anthologia, e Dracontio, e Corippo. tque Octauiani quidem, Crescentini filii, haec sunt:

Thynnus salpa pager lupus ostrea sepia mullus [1])
Uilis iners scaeuus turpis temerarius ardens
Perditus abiectus maledictus sordidus amens [2])
Remus cumba fretum gurges notus ancora lembus
Barca amus pumex conchae uada litus harena
Contus seta salum calamus † notae † retia suber [3])
Aurum templa nefas titulos epigrammata munus [4])

Anonymorum:

Inprobe dure nocens crudelis perfide fallax [5])
Alae colla comae pectus femur inguina cauda. [6])

Draconti haec:

Sarmata Persa Gothus Alamannus Francus Alanus (V 35 Duhn.)
Moenia rostra forum capitolia templa penates (V 41)
Affectus natura genus fons auctor origo (X 129)
Diligat optet amet cupiat suspiret anhelet (X 142)
Dives pauper inops raptor pirata sacerdos (X 411)
Conturbat pietas dolor angor moeror origo (Orest. tr. 558 sq.)
Affectus natura pudor reverentia fama
Sol pietas elementa poli mare flumina tellus (u. 774)

---

[1]) Ries. 21. 59 Baehr. IV 211. 59 pag. 247. — [2]) R. 21. 176. 177 B. 211. 176. 177 pag. 251. — Ries. 21. 107—110 Baehr. IV 211. 107. 108. 109 pag. 249. — [4]) R. 21. 269 B. IV 211. 269 pag. 255. — Burm. I 173. 124, Meyer. 1610. 124 R. 83. 124 B. IV pag. 276. 124. — [6]) Burm. V 150. 3, Meyer. 260. 3, . 132. 3 B. IV 320. 3 pag. 302. —

Corippi:

Quis lacrimas clades praedas incendia mortes (Ioh. I 44 sq.)
Insidias gemitus tormentum uincula raptus
Explicet?
Perfidus infelix atrox insulsus adulter (IV 223 sq.)
Praedo homicida rapax bellorum pessimus auctor
Saltatus risus discursus gaudia plausus (de laud. Iust. III 74.)
Aesculus alnus acer terebinthus populus ornus (IV 44).

Pseudonymus quidam, qui sub nomine Octauiani Caesaris Augusti latet, imperatorem laudat, quod libros Uergili, quos poeta cremari iusserit, flammis comburi uetuerit (Burm. II 184, Meyer. 858, Ries. 672, Baehrens. poet. lat. min. IV 183). Cuius carminis uersu 15 haec leguntur:

Haec dedit ut pereant ipsum, si dicere fas est?

Sic codices. Negat Uergilium eo consilio carmina sua (nam quae uulgo de Aeneide traduntur, hic poeta de omnibus carminibus uergilianis commendata esse sumit, comburi iussisse, ut cum ipso pereant poetaeque nomen exstinguant. Quid enim aliud uerba *si dicere fas est* significant nisi hoc fieri non posse, ne dici quidem licere? Immortalis autem Uergilius est propter ipsa carmina sua, quibuscum ipsum poetam quasi perire necesse esset. Itaque emendo:

Haec dedit ut *perdant* ipsum, si dicere fas est?

Similis sententia est anthol. lat. II 200. 3 Burm., 529. 3 Meyer., 158. 3 Ries., poet. lat. min. IV 345. 3 pag. 310 Baehr.:

Lucis damna nihil tanto ualuere poetae,
Quem praesentat honos carminis et plutei.

Baehrensi *haec dedit ut pereant ipso* non intellego.

INDEX LOCORUM.